

συνίημι, non intelligo, loquere clarius, illos retexe syllogismorum laqueos, categoricum istud argumentum in hypotheticum resolue: at in te, inquires, Sophista insultabit: quid tum postea? an ideo minus bonus, minus Theologus, minus accuratus scripturarum interpres eris: nugæ. Itaque securum te esse iubeo, & in sinu tuo gaudere: clamabit Sophista, te non esse *valentem* Dialectum, & tu ei verbi diuini ignorantiam opprobrabis.

Quod si porro pergat te illudere, vt sunt Sophistæ proterui & impudentes, tum tu eum suis artibus conuenito, & electram, conuelatum, mentientem, metentem, superpositum, *πεγαίνονα*, cornutum, crocodillum &c. quæ nota sunt apud Stoicos fallaciarum nomina, ei & tu vicissim inter disputandum soluendas pone: & reponet, scio, se eas soluere non teneri, neque enim Stoicis operam vnquam dedisse: ibi tu iam ab illo quære, quodnam tantum sit Organi Aristotelis priuilegium, & cuius literarum dictatoris auctoritate firmatum, vt elenchos quidem Sophisticos Stoicorum, qui soli olim in Dialecticis regnabant, & ob summam in ea arte præstantiam proprio iure Dialectici appellabantur, ignorare impune quis possit, Aristoteleos nemo, nisi qui certum velit famæ facere dispendium.

Hæc